Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8172
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



137

et in medio seniorum agnum stantem tamquam occisum
habentem cornua septem et oculos septem qui sunt septem
dona spiritus sancti missi in omnem terram Et venit
et accepit de dextera sedentis in throno librum
Et cum aperuisset librum quatuor animalia et viginti
quatuor seniores ceciderunt coram agno
habentes singuli citharas et fialas aureas
plenas odoramentorum quod sunt orationes sanctorum
et cantabant canticum novum dicentes Dignus
es domine accipere librum et aperire signacula eius
quoniam occisus es et redemisti nos deo in sanguine
tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione
et fecisti nos deo nostro regnum et sacerdotes et
regnabimus super terram Tu Rm Effuderunt
sanguinem sanctorum velut aquam in circuitu illius
et non erat qui sepeliret Vindica domine san-
guinem sanctorum tuorum qui effusus est in circuitu
Et vidi et audivi vocem angelorum multorum in cir-
cuitu throni et animalium et seniorum et erat nu-
merus eorum milia milium dicentium voce magna
Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem
et divitias et sapientiam et fortitudinem et honorem
et gloriam et benedictionem Et omnem creaturam quae
in celo est et super terram et quae sub terra et
quae sunt in mari et quae in eo omnes audivi
dicentes sedenti in throno et agno Benedictio
et honor et gloria et potestas in secula seculorum Et
quatuor animalia dicebant Amen Et seniores
ceciderunt et adoraverunt Tu Rm Adora-
verunt viventem in secula seculorum Mittentes coronas
suas ante thronum dicentes Dignus es domine deus noster
accipere gloriam et honorem et virtutem quia tu creasti omnia
et propter voluntatem tuam erant et creata sunt